Christiani Kisü ão 97. d. 25. Junii

Sum [illegible]
ad 1686. 3. [illegible]bris.

vide Dreieri Diss. 9. Pontificios de hac ma. ao 1649. editam p. 831.

DE PRINCIPIIS FIDEI CHRISTIANÆ,

SIVE

DE CREDENDI REGULA

DISPUTATIO IX.

Quâ

Adhuc Messias jam venisse ostenditur,

Dei auxilio,

PRÆSIDE

CHRISTIANO DREIERO,

S. THEOLOG. D. ET PROF. PRIMAR.

RESPONDENTE

CYPRIANO CZUDNOCHOVIO,

PASTORE STALLUPENENSI,

Ad diem 30. Septemb. in Auditorio Majori horis antemeridianis.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND. ET ACAD. TYPOG. 1667.

VIRIS

Illustribus, Magnificis, & Generosissimis,

In Supremo Prussiæ Ducatus regimine Consiliariis eminentissimis,

DN. JOHANNI ERNESTO â WALLENRODT,

Summo Provinciæ Magistro, Hæreditario in Pachollen, Prekelvitz, Altstat, Cönigssee, Neuendorff, Wilkenen &c.

DN. ALBERTO â CALNEIN,

Supremo Burggrabio, nec non summi, quod in Borussia est, Tribunalis Præsidi; Hæreditario in Lindenau, Molsenen, Loschen &c.

DN. JOHANNI DIETERICO â TETTAU,

Cancellario, Hæreditario in Wicken, Arnau, Schönbruch &c.

DN. VVOLFGANGO â CREYTZEN,

Supremo Marschallo, Hæreditario in Paysten, Selginen, &c.

Dominis suis gratiosissimis

Disputationem hanc in debita venerationis & observantiæ contestationem, suiq; & studiorum suorum commendationem humilimè offert

Cyprianus Czudnochovius.

COROLLARIA.

I.

LXX hebdomades Danielis jam pridem ad finem decurrerunt.

II.

Daniel fuit Propheta eminentissimus, licet â Judæis inter Prophetas non numeretur.

III.

Judæi nullam habent unctionem amplius, & hoc indicium est, Messiam jam venisse.

IV.

Herodes non tertium templum extruxit, sed secundum tantùm exornavit.

V.

Templum Herodis nequaquam comparari potuit cum templo Salomonis, quippe quod fuit longè splendidius.

VI.

Splendor secundi templi non in ædificiis, duratione, & aliis quibusdam accidentibus, sed in præsentia Messiæ consistebat.

VII.

Non tria, sed duo tantùm templa extruenda erant, & tamen Messias ædificaturus erat templum Domino, Zachar. VI, 13.

VIII. Tem-

VIII.

Templum Hierosolymitanum nunquam iterum ædificabitur, quod Judæi ipsi magna cum perturbatione experiuntur, & contremiscunt.

IX.

Verè in Judæis impletum est, quod dicit David Psalm. LVIII. 12. *Ne occidas eos, ne quando obliviscantur legis tuæ. Disperge illos in virtute tua, & depone eos.* Ideo enim *dispersit illos Deus, ut ejus ipsius, cujus fuerunt negatores, persecutores, interfectores, ubiq; sint testes per ipsam legem*, uti loquitur Augustinus Epist. LIX. ad Paulinum quæst. II. Depositi sunt adeò ab omni dignitate, ut qui eis officia publica committunt, tanquam sacrilegi ex Ecclesia ejiciantur, Causa XVII. quæst. IV. cap. Constituit.

X.

Judæi non immeritò ab Ammiano Marcellino, Scriptore Gentili lib. XXII. *fœtentes* appellantur; qui & subdit Marci Aurelij, Imperatoris Ethnici de iisdem dictum, vero planè consentaneum: *O Marcomanni, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis inveni deteriores.*

XV Habent Judæi & hîc quod objiciant: Primò dicunt, Danielem indicare, Regnum Romanorum dividendum esse, sicut illud & videmus hoc tempore divisum in imperium Turcicum seu Ismaëliticum, ut illi loquuntur, & Romanum: Post divisionem autem istam demum venturum Messiam: Ideo eum adhuc expectandum esse. At non quinq;, sed quatuor partes statuæ facit Propheta, & cuiq; parti certam materiam assignat, veluti capiti aurum, pectori & brachiis argentum, ventri & femori æs, pedibus ferrum & testam; & in interpretatione disertè numerat quatuor regna, non plura, quemadmodum & quatuor tantùm animalia & quatuor regna per ea significata, cap. VII. 3. 17. & quatuor cornua, quæ ventilaverunt Israel, Judam & Jerusalem, Zacharias cap. I. 18. Et de quarto quidem regno dicit Daniel, quod futurum sit divisum, & partim robustum, partim debile. Turcicum autem imperium nullo modo pertinet ad Romanorum regnum, sed ex illius parte oppugnata & devicta ortum est. Deinde non unam divisionem indicat Daniel, sed multas, & primas maximè vult attendi, ut cum plebs in Senatum, Sylla in Marium, Cæsar in Pompejum, Augustus in Antonium, & alii deinceps in alios insurrexerunt. Igitur si Messias post factas quasdam imperii divisiones venire debuit, multò antè venire potuit. Tandem posito, quod hîc divisionis in regnum Ismaëliticum & Romanum vel Germanicum fieret mentio, inde non statim sequeretur, quod post hanc divisionem venturus esset Messias primo adventu, sed hoc secundo ejus adventui reservatum esset: De utroq; enim Propheta loquitur. Secundò objiciunt, Messiam occupaturum & comminuturum omnia regna mundi, quod nondum factum fuerit, ideoq; nec Messiam venisse. Sed clariora non sunt interpretanda ex obscurioribus; clarum est, quod Messias venturus esset, florente adhuc imperio Romano

Disp. 9. Resp. Cypriano Czudnochovio, Pastore Stallupenensi in Lituania.

suaq; potentiâ ferreâ omnia concutiente, & potentiâ Judæorum cum potentia Romanorum adhuc conjunctâ; obscurius autem est, quomodo Messias sibi omnia regna subjecturus, vel eadem destructurus esset. Deinde destructio ista regnorum diu post adventum Messiæ fieri potest, ideo non licet ita colligere: Messias nondum destruxit regna, nondum fecit ea omnia, quæ facturus erat, ideo nondum venit. Porrò, quomodo Messias destruet & abolebit omnia regna mundi statim initiò sui regiminis, cum reges *munera ad ipsum allaturi sint*, Psalm. LX, 10. & LXXII. 10. *ipsi servituri*, Psalm. II. 10. LXXII. 11. *ipsius nutricii futuri*, Esai. XLIX. 23. *in ipsius luce ambulaturi*, Esai. LX. 3.? Deniq; regnum Messiæ non mundanum, sed spirituale futurum erat: Lapis enim hîc sine manu de monte abscissus erat, id est sine ope & potentia humana, seu sine mediis istis, quibus homines regna in mundo excitare & alia sibi subjicere solent: Deus cælitus, id est sua cælesti & divina potentia immediatè hoc regnum excitaturus erat, & præsidium ei â sola potentia Dei futurum erat. *Percussurus erat terram virgâ oris sui, & Spiritu labiorum suorum interfecturus impium*, quod ipsi Rabbini ex Esai. XI. 4. huc citare & accommodare solent. Ideo & æternum regnum dicitur, duraturum & post hoc seculum, Dan. II. 44. & cap. VII. 14. quod in mundanum regnum nullum competit. Ideo hoc indicat Daniel, fore, ut regnum Messiæ sine gladio & armis divina virtute & potentiâ Sipritus sibi subjiciat omnia regna mundi, destructâ idololatriâ, & institutô apud omnes homines vero Dei cultu, ita ut illum & per illum unicum verum Deum omnes adoraturi & invocaturi sint, Dan. VII. 14. & tandem in fine mundi evertat omnia regna: Hæc enim cum hoc seculo interibunt omnia; Messiæ autem regnum manebit in æternum.

XVI. Quomodo Patres hoc Danielis vaticinium acceperint,

rint, dispiciendum est. Justinus martyr ad hanc excitationem regni Messiæ cælitus factam refert conceptionem Christi ex Spiritu S. in Dialogo cum Tryphone Judæo in medio dum ait: *Cum tanquam filium hominis dicit* (Daniel VII. 13.) *qui homo esse appareat & sit, indicat, non autem ex humano existere semine declarat: & dum lapidem hunc sine manibus abscissum dicit, in mysterio id ipsum clamitat. Nam cum dicitur ipsum absq; manibus abscissum esse, non humani id operis, sed divini ejus, qui illum produxit, universitatis hujus parentis Dei consilii esse* (ostenditur.) Sic & Irenæus lib. III. cap. 28. *Hoc est, quod sine manibus significabat, quod non operantibus humanis manibus, hoc est, virorum illorum, qui solent lapides cædere, in hunc mundum ejus adventus erat, id est, non operante in eum Joseph, sed sola Maria cooperante dispositioni*, id est, dispensationi & œconomiæ, quæ est incarnatio filii Dei. Et lib. IV. cap. 37. *Aliquando autem lapis* (videbatur.) *à monte abscissus sine manibus, & percutiens temporalia regna, & ventilans ea, & ipse replens universam terram.* Lib. V. cap. 26. per divisionem regnum Romanum interiturum indicat, dum ait: *Quoniam oportet dividi regnum & sic deperire, sicut Dominus ait: Omne regnum divisum in se desolabitur.* Et cum multa de parte ferrea, & fictili dixisset, subdit: *Ergo decem digiti pedum hi sunt decem reges, in quibus dividetur regnum: ex quibus quidam fortes & agiles, sive efficaces; alii autem pigri & inutiles erunt, & non consentient.* Et mox: *Sic ergo Deus magnus significavit per Danielem futura, & per Filium confirmavit, & Christus est lapis, qui præcisus est sine manibus, qui destruet temporalia regna, & æternum inducet, quæ est justorum resurrectio. Resuscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum nunquam corrumpetur.* Sic ille destructionem regnorum ultimo adventui assignat, quemadmodum & Tertullianus lib. adversus Judæos, in fine, ubi dicit: *Ignobilitatis argumen-*

ta primo adventui competunt, sicut sublimitatis secundo, cum fiet jam non lapis offensionis nec petra scandali, sed lapis summus angularis post reprobationẽ assumptus & sublimatus in consummationẽ: & petra sanè illa apud Danielem de monte præcisa, quæ imaginẽ secularium regnorum comminuet & conteret. Similia habet lib. III. adversus Marcionem, non multùm ab initio. Hieronymus lib. I. Commentar. in cap. II. Danielis sic scribit: *Regnum quartum, quod perspicuè pertinet ad Romanos, ferrum est, quod comminuit & domat omnia, sed pedes ejus & digiti ex parte ferrei, & ex parte sunt fictiles, quod hoc tempore manifestissimè comprobatur. Sicut enim in principio nihil Romano imperio fortius & durius fuit, ita in fine rerum nihil imbecillius: quando & in bellis civilibus, & adversum diversas nationes, aliarum gentium barbararum indigemus auxilio. In fine autem horum omnium regnorum, auri, argenti, æris, & ferri, abscissus est lapis, Dominus atq; Salvator, sine manibus, id est, absque coitu & humano semine de utero virginali, & contritis omnibus regnis, factus est mons magnus, & implevit universam terram.* Prolixè & hoc vaticinium tractat Chrysostomus Sermone in illud Luc. II. Exiit edictum à Cæsare Augusto, Tom. VI. qui videri potest. Augustinus in libro contra Judæos, Paganos, & Arianos cap. 12. Tom. VI. hunc locum conjungit cum altero Danielis IX. de ungendo sancto sanctorum, & sic ait: *Dic, Sancte Daniel, dic de Christo quod nôsti, Cum venerit, inquit, sanctus sanctorum, cessabit unctio* (v. 24. 26.) *Quare illo præsente, cui insultantes dicebatis, Tu de te testimonium dicis, testimonium tuum non est verum, cessavit unctio vestra, nisi quia ipse est, qui venerat, sanctus sanctorum? si, ut vos dicitis, nondum venit, sed expectatur, ut veniat sanctus sanctorum, demonstrate unctionem. Si autem, quod verum est, cessavit unctio vestra, agnoscite venisse sanctum sanctorum. Ipse est enim & lapis abscissus de monte sine manibus concidentium, id est,*

Chri-

Christus natus de virgine sine manibus complectentium, qui tantum crevit, ut mons magnus fieret, & impleret universam faciem terræ. De quo monte dicit Propheta, Venite ascendamus ad montem Domini. Similia habet Augustinus Tract. IX. in Johannem. Prolixè etiam & egregiè hoc dictum explicat Theodoretus in Commentar. ad Danielis II. Tom. II. De Christo dicit: *Hic excisus est à monte sine manibus, natus de virgine absq; nuptiali commercio;* ad quod citat verba Esaiæ LI. 1. *Inspicite in solidam petram, ex qua excisi estis,* quia nempe ex effœtis parentibus & sterili matre progeniti erant. Et postea: *Hic percutiet imaginem super pedes fictiles ac ferreos, hoc est, novissimo quoq; regno finem imponet, ipsumq; demolietur & delebit. Neq; enim aliud ipsi succedet regnum, verùm ipse suum nudabit & omnibus ostendet: illorumq; omnium regnorum ipsam quoq; memoriam pulveris instar delebit, qui in area excitatus à vento dissipatur.* Aliàs Theodoretus v. 41. ubi dicitur in Hebræo & omnibus versionibus: *Regnum divisum erit,* legit: *Regnum aliud divisum erit,* fortè quia sic habuit in suo exemplari Græco LXX. interpretum. Explicat autem illud, dum ait: *Aliud non secundum genus dixit, sed secundum virium qualitatem. Si enim secundum genus aliud dixisset, quintum ipsum appellâsset, sicut item tertium, & quartum antea dixit. Quia verò noverat, regni ferrei extrema imbecilliora fore, adjecit, aliud, propter imbecillitatem.* Et postea: *Cum enim ferreum regnum imbecilliter affectum fuerit, ac testæ commistum, tunc apparebit lapis sine manibus excisus.* Intelligit autem potissimum hoc dictum de ultimo Christi adventu, dum ait in sequentibus: *Quod si contendant, priorem Domini adventum his verbis significari, ostendant Romanorum imperium, simulatq; Salvator noster apparuit, periisse.* ——— *Igitur si Domini prior nativitas Romanorum haud evertit imperium, relinquitur sanè, ut secundum illius intelligamus adventum. Nam lapis, qui*

prius excisus est sine manibus, quiq; evasit in montem magnum, & orbem terrarum cooperuit, hic in secundo adventu percutiet imaginem super pedes fictiles, hoc est, in ipso fine ferrei regni, quod jam factum fuerit imbecille, adveniet, & omnia regna demoliens cuidam tradet oblivioni, sempiternumq; suum regnum dignis communicabit. Addimus & declarationem Nicolai de Lyra: Is in libro contra Judæos quæst. III. ad calcem Tomi ultimi Bibliorum, sic ait: *Primum est regnum Chaldæorum, quod significatur per caput aureū, ut ibidem dicitur. Secundum est regnum Persarum, quod significatur per argentum, quod subjecit sibi regnum Chaldæorum. Tertium est regnum Græcorum seu Alexandri, quod per æs significatur; quod subjecit sibi regnum Persarum. Quartum est regnum Romanorum, quod per ferrum designatur; quod subjecit sibi regnum Græcorum, & alia regna mundi, sicut ferrum domat omnia alia metalla. Per lapidem autem abscissum de monte sine manibus, designatur ipse Christus Jesus, sive regnum ejus, cui subjiciendum erat Romanorum imperium. —— Sed pono hoc breviter, quod in prædicta expositione omnes expositores, tam Catholici, quàm Hebræorum concordant.* In Commentar. ad Daniel. II. cum attulisset explicationem Patrum de ferro & testa, id est, regno initiò robusto, postea debili & fragili, subdit adhuc aliam ex Hebræorum scriptis: *Aliter*, inquit, *exponunt quidam doctores Hebræorum ab illo loco: Porro quia vidisti &c. de societate Judæorum & Romanorum, quæ incepit tempore Judæ Maccabæi, ut habetur I. Maccab. VIII. & renovata est tempore Jonathæ & Simonis fratrum suorum I. Maccab. XII. Et Judæorum debilitas significata est per testam, fortitudo autem Romanorum per ferrum. Quod autem sequitur: Commiscebuntur quidem humano semine, exponunt de Herode Ascalonita, cui regnum Judæorum datum est à Romanis. Et cum non esset Judæus natione, voluit sibi puellam de genere Maccabæorum copulare, ut filius ejus teneret regnum*

gnum, sed illa præ dolore se interfecit: Herodes autem, propter suam luxuriam & puellæ pulchritudinem, eâ mortuâ abusus est, ut dicunt: & hoc est quod dicitur hic: Commiscebuntur humano semini: non dicitur fœmineo. Sed non adhærebunt sibi: quia Herodes nunquam dilexit Judæos, nec ipsi eum.

XVII. Tandem traditio Judæorum antiqua est, sex mille annos duraturũ mundum, & post quater mille venturũ Messiam. In libro Talmudico, Sanhedrin, capite chelec, ita legitur: *Traditum est à domo Eliæ: Sex millia annorum erit mundus, & iterum destruetur: duo millia inanitatis, duo millia legis, & duo millia dierum Messiæ: propter peccata verò nostra, quæ creverunt, exiverunt ex iis, qui exiverunt.* Rabbi Salomo Jarchi in Expositione sua id probat & demonstrat, duo millia præteriisse sine lege, & duo millia sub lege usq; ad Messiã, & ait: *Per centum septuaginta duos ergo annos ante consummationẽ quatuor millium annorũ ab initio mundi destructa est domus, & in fine centum septuaginta duorum completa fuerunt duo millia annorũ legis: Non tamen tunc evacuanda lex, ut dicebat magister meus. Sequitur: Et duo millia erunt dies Messiæ: Post duo millia namq; legis erit judicium ejus, ut veniat Messias, & evacuetur regnũ nequã, id est, Romanorũ, & cesset servitus. Veruntamen propter peccata nostra, quæ multiplicata sunt, non venit Messias in fine quatuor millium annorum.* Unde constat, quod recepta apud Judæos hæc sit traditio. Quis autem iste Elias fuerit, non planè constat: Quod Elias propheta non fuerit, sed aliquis diu post illius tempora, Rabbi, qui discipulos suos sic docuerit, habetur in libro Schalschelet hacabalah, ubi ita scriptum est: *Jehudah filius Thebæ & Nathæus Arbalæus traditionem acceperunt à duobus Josi, quorum supra mentionem fecimus, anno 3560. à creatione mundi, qui fuit annus 152. ab ædificatione templi secundi, sexaginta circiter annis ante bella Græcorum. Vidi in quodam vetusto quinternione,*

ternione, hoc ævo extitisse Eliam, cujus mentio fit in Mischnajot & Gemara his verbis: Traditio est domus Eliæ: id est scholæ Eliæ. Non est autem ille Elias propheta ullo modo. Unde manifestum est, quod hæc traditio Judæis innotuerit multò ante excidium templi secundi, antequam ad finem decurrisset millenarius mundi quartus. Proinde & additio illa, *Propter peccata verò nostra, quæ creverunt, exiverunt ex ÿs, qui exiverunt,* non potest esse æquè antiqua: Quia antequam millenarius quartus finiretur, nondum poterant anni quidam exivisse seu superadditi esse, neq; potuit Elias de annis jam supra numerum istum elapsis loqui, sed de elapsuris dixisset: *Propter peccata nostra exibunt, qui exibunt.* Igitur à quodam Rabbino vel à quibusdam Rabbinis illa verba adjecta sunt, cum, elapsis jam quater mille annis, Messiam nondum conspicerent. Idem confirmatur ex libro Aboda Zara cap. quod incipit, Liphne Edehen, ubi sic legitur: *Tradidit domus Eliæ: Sex millia annorum durabit mundus: duo millia inanitas, duo millia lex, & duo millia dies Messiæ. Propter peccata verò nostra, quæ multiplicata sunt, egressi sunt ex ÿs septingenti quatuordecim.* Sic auctor ibi loquitur, qui jam verba mutare & suum tempus, quo vixit adjicere audet, quod non fecisset, si fuisset ipsius Eliæ hæc traditio, non explicatio quædam à posteris adjecta. Porro hoc probatur, quia traditio Judæorum est, quod tempus adventus Messiæ, possit quidem accelerari, sed non retardari. In libro Sanhedrin cap. Chelec ista habentur: *Dixit Rabbi Alexander, Rabbi Josua filius Levi dixit; Scriptum est* (Esai. LX. 22.) *In tempore suo; & scriptum est, accelerabo eam; si meruerint, accelerabo eam; si non meruerint, in tempore suo.* Sermo autem est de exhibitione Messiæ, quem dicit citò venturum, si pii fuerint, at tempore definito & significato, si improbi essent. Unde constat, quod secundum Judæorum traditionem, Messias quidem venire potuerit ante

tempus

tempus prædictum, sed non post illud. Deniq; ineptum planè est, quod Judæi dicunt, Messiam non venire propter peccata & indignitatem ipsorum: A nulla enim conditione Deus adventum Messiæ suspendit, sed absolutè & simpliciter eum venturum promisit, uti & conservationem generis humani, & populi Judaici usq; ad finem mundi promisit; & quemadmodum resurrectionem mortuorum, & supremum judicium, & interitum mundi simpliciter prænunciavit, ut sive benè sive malè vivant homines, tamen resurrecturi sint, & judicandi, & mundi totius excidium experturi. Ut autem promissiones hæ absolutæ esse cognoscantur, necesse est, ut discernamus adventum Christi in se spectatum à salutari ejus fructu & participatione. Adventum Christi in se simpliciter & absolutè promiserunt Prophetæ; at participationem & fructum ejus salutarem cum conditione fidei & pietatis. *Timentibus nomen ejus oriundus erat ut sol justitiæ, sanans radiis suis*, Malach. IV. 2. at improbis ac refractariis futurus erat *lapis offensionis & petra scandali, duabus domibus Israel, in laqueum & ruinam habitantibus in Jerusalem*, Esaiæ VIII. 14. Venturus erat, ut emundaret & expurgaret peccatores, Malach. III. 3. & allaturus peccatorum remissionem, Jerem. XXXI. 34. Quin & ipsi Judæi fatentur in libro Sanhedrin cap. XI. à nulla conditione suspensum adventum Messiæ, sed Deum eum missurum propter gloriam suam: *Dixit Rabbi Juchanan: Non venit filius David, nisi in generatione tota justa, vel in generatine tota peccatrice. In generatione tota justa, juxta illud* (Esai. LX. 21.) *Et populus tuus omnes isti erunt justi, in seculum hæreditate accipient terram. In generatione tota peccatrice, juxta illud* (Esai. LIX. 16.) *Et vidit, quod non esset quispiam, & admiratus est, quod non esset qui oraret. Scriptum est autem* (Esai. XLVIII. 11.) *Propter me, propter me faciam.*

XVIII. Si primitivæ Ecclesiæ doctores consulamus, reperimus utiq;, quod hanc traditionem de duratione mundi magni fecerint, eamq; novis præterea fulcris statuminarint & stabiliverint. Barnabas, Apostoli Pauli comes, in Epistola sua Catholica, non procul à fine sic scribit: *Et fecit Deus die sexto opera sua, & consummavit die septimo, & requievit in illo die. Attendite, filii, quid dicit, consummavit in sex dies. Hoc dicit, quia consummavit Deus omnia in sex millia annorum. Dies enim apud illum mille anni sunt* (Psalm. LXXXIX. 4.) ——— *Unde scire debetis, quia in sex millia annorum consummabuntur omnia.* Irenæus, qui adhuc discipulos Apostolorum audivit, lib. V. cap. 28. itidem ait: *Quotquot diebus hic factus est mundus, tot & millenis annis consummatur. Et propter hoc ait Scriptura Geneseos: Et consummata sunt cœlum & terra, & omnis ornatus eorum. Et consummavit Deus in die sexto omnia opera sua, quæ fecit, & requievit in die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit. Hoc autem est & antè factorum narratio, quemadmodum facta sunt, & futurorum prophetia. Si enim dies Domini quasi mille anni; in sex autem diebus consummata sunt, quæ facta sunt; manifestum est, quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus annus est.* Et cap. 29. *Sexcenti itaq; anni Noë, sub quo fuit diluvium propter apostasiam; & numerus cubitorum imaginis* (statuæ à Nabochodonosore erectæ ad idololatriam Dan. III. 1. cubitorum sexaginta in altitudine, & sex in latitudine) *propter quam isti in caminum ignis missi sunt, numerum nominis significat illius,* (bestiæ in Apocalypsi) *in quam recapitulabitur sex millium annorum omnis apostasia, & injustitia, & nequitia, & pseudoprophetia, & dolus, propter quæ & diluvium superveniet ignis,* ut ita mundus igne mundetur & purgetur, uti antea aqua. Origenes seculo III. lib. VI. contra Celsum, multùm supra medium, non procul à fine, de Celso sic loquitur: *Nescit, quisnam sit ille post sex dies à*

mun-

mundo condito sequuturus dies Sabbati; in quo cuncti, qui sex illis diebus opera sua perfecerunt, nihilq; eorum prætermiserunt, quæ pertinerent ad suum officium, cum Deo feriabuntur, ascendentes ad spectacula & justorum beatorumq; celebritatem. Cyprianus in libro de Exhortatione Martyrii cap. XI. *Quid verò in Maccabæis septem fratres & natalium pariter & virtutum forte consimiles septenarium numerum sacramento perfectæ consummationis implentes? Sic septem fratres in martyrio cohærentes, ut primi in dispositione divina septem dies annorum septem millia continentes.* Lactantius Firmianus sub finem seculi III. lib. VII. Instit. cap. 14. hæc habet: *Sciant igitur Philosophi, qui ab exordio mundi seculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum; quo numero expleto, consummationem fieri necesse est, & humanarum rerum statum in melius reformari ——— Quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per secula sex, id est, annorum sex millia manere hoc statu mundum necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, sicut indicat Propheta qui dicit: Ante oculos tuos, Domine, mille anni, tanquam dies unus.* Auctor quæstionum & responsionum apud Justinum Martyrem, quo multò posterior est, quæst. LXXI. *Ex multis scripturæ locis conjicere licet, vera dicere ἀληθεύειν, qui dicunt, sexies mille annorum esse præsentis mundi status tempora.* Hilarius Pictaviensis Canone XVII. in Matthæum, expendens illa verba Matth. XVII. 1. *Post dies sex assumpsit Jesus Petrum & Jacobum, & transfiguratus est ante eos,* ita scribit: *Post dies sex gloriæ Dominicæ habitus ostenditur: sex millium scilicet annorum temporibus evolutis, regni cœlestis honor præfiguratur.* Et Canone XX. in Matthæum: *In undecima autem hora corporei adventus tempus ostendit. Nam ex omni numero, qui spacio præsentis seculi est constitutus, in eandem rationem convenit ortus ejus ex Maria, in quam undecima tempus ex die est. Divi-*

sione enim per quingentenum numerum facta, in omni sex millium annorum summa, tempus corporei ortus ejus undecimo totius divisionis calculo supputatur. Hieronymus Epistola CXXXIX. ad Cyprianum, qua explicat Psalmum LXXXIX. ad illa verba, *Mille anni quasi dies unus*, ista annotat: *Ego arbitror ex hoc loco, & ex Epistola, quæ nomine Petri Apostoli inscribitur, mille annos pro una die solitos appellari: ut scilicet, quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus annorum tantùm credatur subsistere, & postea venire septenarium numerum, & octonarium, in quo verus exercetur Sabbatismus, & circumcisionis puritas redditur, unde & octo beatitudinibus bonorum operum præmia promittuntur.* Et in Commentario ad Michææ cap. IV. initio: *In consummatione seculorum in reprobationem peccati per hostiam suam Salvator noster apparuit & undecima hora ad conducendos operarios venit. Et completa illius passione Johannes loquitur: Novissima hora est: In sex millibus enim annis, si quingenti anni per horas diei singulas dividantur, novissima hora consequenter dicetur tempus fidei gentium.* Gaudentius Brixiensis Sermone X. de Exodo, Tom. II. Biblioth. Magnæ Patrum: *Expectamus etiam illum verè sanctum diem, septimi millesimi anni diem, qui adveniet & post istos sex dies sex millium, videlicet annorum seculi, quibus completis requies erit verè sanctis & fideliter credentibus, in resurrectione Christi.* Augustinus lib. XX. de Civit. Dei cap. 7. *Mille autem anni* (Apocalypſ. XX.) *duobus modis possunt, quantum mihi occurrit intelligi: aut quia in ultimis annis mille ista res agitur, id est, sexto annorum milliario, tanquam sexto die, cujus nunc spacia posteriora volvuntur: secuturo deinde sabbato, quod non habet vesperam, requiem scilicet sanctorum, quæ non habet finem: ut hujus milliarii, tanquam diei novissimam partem, quæ remanebit usq; ad terminum seculi, mille annos appellaverit, eo loquendi modo, quo pars significatur à toto.*

XIX. Cæterùm dubios habuit Patres supputatio Græca LXX. interpretum, quam sequebantur, quamq; secutos sciebant Apostolos: Secundum enim LXX. interpretes ferme quater mille anni effluxerunt usq; ad latam legem, cum secundum codicem Hebræum Masoreticum vix bis mille quadringenti quinquaginta numerentur; ideo non potuerunt assignare bis mille annos patribus ante legem, bis mille legi, & bis mille Messiæ, sed intervalla qualiacunq; respondere singulis creationis diebus existimârunt. Hinc jam suo tempore Lactantius tantùm ducentos annos ad finem mundi superesse, scribit lib. VII. cap. 25. dum ait: *Jam superius ostendi, completis annorum sex millibus mutationem istam fieri oportere, & jam propinquare summum illum conclusionis extremæ diem* ——— *Quando tamen compleatur hæc summa, docent ij, qui de temporibus scripserunt, colligentes ea ex literis sanctis, & ex varijs historijs, quantus sit numerus annorum ab exordio mundi: qui licet varient & aliquantum numeri eorum summa dissentiat, omnis tamen expectatio non amplius, quàm ducentorum videtur annorum.* Vixit autem Lactantius sub finem seculi III. à Christo nato. Et auctor quæstionum apud Justinum Martyrem quæst. LXXI. dicit, Apostolos scripsisse in sexto millenario: *Nonnunquam,* inquit, *dicit* (Scriptura) *Extremis hiscè diebus loquutus est nobis per Filium: quandoq;, In quos termini ætatum inciderunt: aliquando, Ubi venit plenitudo temporis. Omnia enim dicta ista in sexto prolata sunt millenario annorum ordine.* Ambrosius expendens transfigurationem Christi in monte, lib. VII. in Lucæ cap. IX. jam suo tempore ad finem decurrisse sex millia annorũ, scribit: *Matthæus & Marcus,* inquit, *post dies sex assumptos hos esse memorarunt. De quo possemus dicere, post sex millia annorum. Mille enim anni in conspectu Dei tanquam dies una; sed plures, quàm sex millia computantur annorum.* Sic & Augustinus lib. XX. de Civit.

Dei cap. 7. dicit, quòd sexti milliarii *spacia posteriora volvantur*, ut vidimus, & improbat, si quis curiosè determinet hos millenarios mundi, eo quod id verbis Christi de ignorantia ultimi temporis adversetur. Enarrat. Psalm. VI. Tom. VIII. hac de re sic loquitur: *Visum est nonnullis diem judicij significare, id est tempus adventus Domini nostri, quo venturus est ad judicandum vivos & mortuos. Qui adventus computatis annis ab Adam post septem millia annorum futurus creditur, ut septem annorū millia tanquam septem dies transeant, deinde illud tempus, tanquam dies octavus adveniat. Sed quoniam dictum est á Domino, Non est vestrum scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate ——— satis apertè ostendit, neminem sibi oportere arrogare scientiam illius temporis computatione aliqua annorum. Si enim post septem millia annorum ille dies venturus est, omnis homo potest annis computatis adventum ejus addiscere.* Similia habet Enarrat. Psalm. LXXXIX. Inde sex potius mundi ætates numerat, & *sextam nunc agi*, scribit, *nullo generationum numero metiendam, propter id, quod dictum est: Non est vestrum scire tempora.* Qualia & habet lib. I. de Genesi contra Manichæos, cap. XXIII. XXIV. Tom. I. Lib. XVI. de Civ. Dei cap. 10. colligit annos à diluvio ad Abraham ex Græca versione per Sem, Arphaxat, Cainan, Sala, & cæteros, & concludit: *Fiunt itaq; anni à diluvio usq; ad Abraham mille septuaginta & duo, secundum vulgatam editionem, hoc est, interpretum septuaginta. In Hebræis autem codicibus longè pauciores annos perhibent inveniri: de quibus rationem aut nullam aut difficilimam reddunt.* Ubi diversitatem hanc codicum notat. Augustinum sequitur Julianus Archiepiscopus Toletanus, Seculo VII, lib. III. contra Judæos, initiò, Tom. IV. Biblioth. Magnæ Patrum, & diligenter inculcat sex ætates mundi secundum sex dies creationis, & singulas ætates non annis, sed generationibus definiendas. Tangit & ipse differen-

rentiam Græcorum & Hebræorum codicum, dum ita Judæos alloquitur: *Hoc solùm vultis scire, de annorum summa, id est, ab origine mundi usq; ad Christum quot anni transierunt, nec non & quibus ob hoc codicibus hoc oporteat credi, id est, utrum codicibus Hebræorum, an secundum septuaginta translatorum: Vivi cordis hîc jam apponite sensum. Etenim si quæramus annos à principio mundi, usq; ad nativitatem Christi, secundum codices septuaginta translatorum subsequentibus etiam quibusdam historijs gentium, reperiuntur ab Adam usq; ad Christum anni* (juxta Eusebii chronicon) 5200. & *quicquid aliud superest secundum quosdam Historicos, qui annorum mundi seriem conscripserunt. Secundùm codices autem vestros multò pauciores anni inveniuntur, in tantum, ut in solis duabus generationibus ante diluvium, & post, quæ usq; ad Abraham per ordinem currunt, in quas hæc ipsa annorum diversitas inter utrosq; codices vix mille quingenti quadraginta anni & parum supra aliquid colligantur——— Ecce minor numerus reperitur annorum in codicibus Hebræorum, quàm in codicibus septuaginta interpretum, in tantum, ut etiam præsentem usq; diem nec dum adhuc quinq; millia annorum videantur expleta, qui tamen & ipsi nil tempori nativitatis Christi præjudicant, quod sub tanta evidentia generationũ ordo commendat.* Augustinum sequitur & Beda Seculo VIII. in libro de Ratione temporum cap. LXVI. Tom. II. Operum, dum ait: *Neq; ullatenus sunt audiendi, qui suspicantur, hujus seculi statum sex millibus annorum ab initio fuisse definitum, & ne contra sententiam Domini venire videantur, addunt, incertum mortalibus, quoto anno sextæ millenariæ partis venturus sit dies judicij: cujus tamen adventus maximè circa terminum sexti millenarij debeat sperari. A quibus si quæris, ubi hæc putanda vel credenda legerint; mox stomachantes, quia aliud quid respondere non habent, Annon legisti, inquiunt, in Genesi, quia sex diebus mundum fecerit Deus? Unde meritò credi debet,*

debet, eum plus minus ſex millibus annorum eſſe ſtaturum. Et quod eſt gravius, fuere, qui propter ſeptimum diem, in quo requievit Deus ab operibus ſuis, ſperarent poſt ſex annorum millia ſanctorum laboris in hac vita mortali ſeptimo mille annorum curriculo eos poſt reſurrectionem in hac ipſa vita immortales in delicijs & multa beatitudine regnaturos eſſe cum Chriſto. Verùm his, quia hæretica ſunt & frivola, funditus omiſſis, intelligamus ſincerè & Catholicè ſex illos dies, in quibus mundi hujus ornatum perfecit Deus; & ſeptimum, in quo ab omni opere ſuo requievit, quem ob id perpetuæ quietis benedictione ſanctificavit, non ſex annorum millia ſeculi laborantis, & ſeptimum regni beatorum in terra cum Chriſto, ſed ſex potius ætates ſignificare mundi labentis, in quibus ſancti laborant in hac vita pro Chriſto, & ſeptimam perpetuæ quietis in alia vita: quam ſolutæ á corporibus percipiunt animæ ſanctæ cum Chriſto. Eadem de cauſa à quibusdam additos fuiſſe quingentos annos ad ſex mille, Germanus Patriarcha narrat eodem ſeculo VIII. in rerum Eccleſiaſticarum Contemplatione, in medio Tom. XII. Biblioth. Magnæ Patrum: *Quod Pontifex obſignet populum, id ſubindicat futurum adventum Chriſti, anno ſexies milleſimo quingenteſimo fore ex ſupputatione digitorum ſignificanti ſexies milleſimum quingenteſimum. Id & Hippolytus è Roma, & Sanctus Cyrillus dicunt in libris ſuis de Antichriſto, anno ſexies milleſimo quingenteſimo futurum adventum fore, itemq́; Chryſoſtomus.* Hæc ille.

XX. Quicquid ſit, Judæi Hebræum codicem Maſoreticum planè indubiũ habent, & proinde ex eo convinci poſſunt. Quemadmodum & eos ſic convincit Nicolaus de Lyra, converſus Judæus, in libro contra Judæos, ad calcem Commentar. in Biblia: Cum enim citâſſet traditionem domus Eliæ, ſubdit: *Ad intellectum hujus eſt ſciendum: quod Hebræi dicunt, hoc fuiſſe dictum á filio mulieris Sareptanæ, quem ſuſcitavit Helias; qui etiam poſtea*

habuit Spiritum prophetiæ, & prophetavit de duratione mundi, quod duraret, ut dictum est, sex millia annorum. Duo millia autem dicunt tempus vanitatis: quia á principio mundi usq; ad vocationem Abrahæ, quando dictum est ei à Domino: Egredere de terra &c. Genes. XII. mundus defluxerat in vanitate peccatorum ——— Et istud tempus duravit per duo millia annorum & XXIV quia Abraham habuit LXXV. annos, quando vocatus est. Ex tunc autem incepit tempus legis. ——— Ab illo autem tempore scilicet à vocatione Abrahæ usq; ad nativitatem Christi fluxerunt duo millia annorum, nisi quod deficiunt XXIX. Si igitur accipiantur XXIII. qui superabundant ultra duo millia prædicta, quæ dicuntur tempora vanitatis; habebimus quatuor millia annorum á principio mundi usq; ad nativitatem Christi, nisi quod deficiunt V. anni. Si igitur quinq; anni, quibus Christus latuit in Ægypto propter persecutionem Herodis, jungantur præcedentibus, ita quod dies Messiæ incipiant computari ab illo tempore, quo de Ægypto est reversus: habebimus de principio mundi quatuor millia annorum usq; ad dies Messiæ, scilicet duo millia vanitatis, duo millia legis, secundùm prophetiam prædictam. Cæterùm & ipse metuit, ne nimis curiosè tempus interitus mundi determinare videatur, ideo subnectit: *Utrum autem dies Christi debeat tantùm durare per duo millia annorum, vel plus vel minus, non me intromitto: quia finem mundi determinandum dicere non intendo; sed sufficit mihi secundum prædictam traditionem Judæorum, quòd tempus adventus Christi sit præteritum, ex quo jam dictum est, quod transierint á principio mundi quatuor millia annorum, usq; ad dies Messiæ: quia á principio mundi ipsi computant quinq; millia & LXX. annos usq; ad annum Domini M. CCCIX. quo præsens opus fuit scriptum.* In altera autem supputatione, quæ Græcorum & Ecclesiæ est, illud est observandum, quod dicit Julianus Archiepiscopus Toletanus lib. III. contra Judæos, in medio ferè: *Quando ergo falsitas Judæorum,*

rum ô studiosissime Christiane, per annos ex codicibus suis libatos, ætates seculi coram te voluerit definire, ut quasi per millenos, ætates ipsas mundi determinatas videatur ostendere, non illuc traharis in spiritu erroris, sed revertere ad spiritum veritatis, ut secundum Evangelium & exempla scripturarum, quæ superius posita sunt, pro dignoscentia harum ætatum, omnem illam annorum supputationem secundùm codices Hebræos despicias, & has solùm enumerationes generationum intendas, quas ab Adam audistis usq; ad Christum distinctis lineis terminatas. Et in fine: *Manifestè patescit opinio illa vestra vanissima, qua & sextam adhuc ætatem seculi expectatis, & seculum istud in sex millibus tantùm annis stare confingitis, quos jam & ipsos transactos esse probabitis, si studiosius attendatis* ——— *Si inquam transactis sex millibus annis, quid jam nunc Judæorum falsitas agis? quando perdito regno & sacerdotio, traheris in errorem, & generationum nesciens ordinem, in solis annis tibi futuram collocas fidem. Ecce multipliciter victus, & convictus es de ætate seculi sexta, & Christi nativitate præterita. Nil enim verum, quod respondeas, invenies, quia & per ætates juxta codices tuos generationum ordine patefacto succumbis, & per ipsam annorum summam secundum codices vulgatæ editionis manifestè dejiceris. O quàm dolendus est error tuus! Nulla enim te Prophetalis historia juvat, nullus historicus ordo confirmat, jam signa tua non vides, jam non est Propheta; nubibus enim mandavit, ne pluant super te pluviam, & adhuc dicis, nasciturum esse Christum.* Ostendendum Judæis est, sex esse mundi ætates, ætates has generationibus distingui, nos jam esse in sexta ætate, inter cætera, quòd Judæi non amplius habeant generationes, quibus ætates distinguantur.

XXI. Deniq; idem quod Messias jam venerit, confirmat ipse sensus & opinio communis Judæorum ab eo tempore, quo anni adventus Messiæ elapsi sunt. Undiquaq; enim circumspicien-

cientes, Messiam suũ quæsiverunt, adeo ut & illis honorem hunc detulerint, quibus competere nullo modo poterat. Initiò Theudam sive Theodã seqvuti sunt, quod Gamaliel, unus ex senioribus & judicibus Judæorum, Actorum V. 36. his indicat verbis: *Ante hos dies extitit Theudas, dicens, se esse aliquem: cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est, & omnes, quicunq; credebant, ei dissipati sunt & redacti ad nihilum.* Idem habet Josephus lib. XX. Antiquit. cap. II. licet in tempore & procuratore erret: *Fado,* inquit, *Procuratore apud Judæam præstigiator quidam nomine Theudas persvasit magnæ vulgi multitudini, ut assumptis suis facultatibus sequerentur se ad Jordanem fluvium: Prophetam enim se jactabat, pollicens, scissurum se verbo fluvium, & facilem præbiturum transitum, taliq; promissione multis imposuit. At Fadus effecit, ut nihil lucrifacerent ex sua insipientia, immissis in eos turmis equitum, qui ex improviso irruentes, ex his multos interemerunt, multos vivos ceperunt, & in ipsum Theudam, cujus caput abscissum reportaverunt Hierosolymam.* Post hunc Judas Galilæus surrexit *in diebus census & populum avertit; sed & ipse periit omnesq; socii ejus dispersi sunt,* ut refert idem Gamaliel loc. cit. Josephus lib. XVIII. Antiquit. cap. I. de hoc ita scribit: *Extitit tamen post quidam Judas Gaulonites, ortus ex oppido Gamala, qui adjunctô sibi Pharisæô Saddocô solicitabat ad defectionem populos, censum nihil aliud, quàm manifestam servitutis professionem esse dictitans, & universam gentem ad tuendam libertatem adhortans: Fore enim, ut re benè gesta fortunis suis fruantur feliciter, & confirmati in earum possessione laudem quoq; rebus suis consulant. Accipiebantur hæc pronis vulgi auribus, ita ut accenderentur ad audendum aliquid* Hoc excidii Hierosolymitani initium fuisse scribit. Etsi verò Judas Galilæus cum multis suis sectatoribus interierit, manserunt tamen, qui ejus sectæ adhærerent: Nam & filii Judæ, Jacobus &

 Sime-

Simeon sub Claudio crucis supplicium subiêre, teste Josepho lib. XX. Antiquit. cap. III. Porro Ægyptius quidam sub eodem Claudio Cæsare, cum Felix procurator Syriæ esset, magnam Judæorum ad se pertraxit & in perniciem dedit multitudinem, quod pariter refert Josephus lib. II. de Bello Judaico cap. XII. *Seductores,* inquit, *homines & circumventores, sub specie religionis novis rebus studentes, vulgus insanire fecerunt: nam in solitudines egrediebantur, promittentes, Deum signa ipsis ostensurum libertatis. Contra quos Felix (videbantur quippe semina defectionis esse) mittens equites atq; pedites armatos, magnam multitudinem interfecit. Majore autem plaga Judæos afflixit Ægyptius quidam Pseudopropheta. Adveniens quippe in provinciam, Magus cum esset, Prophetæ opinionem sibi arrogans, triginta fermè millia hominum congregavit, quos vana seductione deceperat. Et circumducens eos de solitudine in montem, qui vocatur olivarum, inde ad Hierosolymam nitebatur ascendere, depulsoq; Romanorum præsidio in populares exercere dominationem. Utebatur autem stipatoribus, qui ad id facinus convenerant. Prævidit sanè ejus impetum Felix & occurrens cum ipsis Romanis armatis, quos etiam Judæorum reliqua multitudo juvabat, iniit conflictum. Et Ægyptius quidem cum paucis fugit. Plurimi autem, qui cum ipso fuerant, comprehensi atq; vinculis traditi sunt. Reliqua verò multitudo in regiones proprias dispersa est.* Idem habet lib. XX. Antiquit. Judaic. cap. VI. & addit, nondum hunc seductionum finem fuisse, sed & alios libertatem promittentes latrones se prodidisse.

XXII. Nec alia de causa ante id tempus, sub Tiberio Cæsare adhuc, quidam Herodi hunc honorem adjudicarunt, ut Messias putaretur, qui & eum libenter admisit, & ideo Judæis templum magnis sumptibus ædificavit, quia audiverat, hoc Messiæ opus futurum, *ut extrueret templum Domino,* Zachar. VI. 13. Ratio,

qua

qua in illam sententiam devenerant, hæc erat, quòd ipse esset alienigena, non ex sanguine Judæorum, sed Idumæus, & sceptrum ad ipsum devenisset. Nova secta Herodianorum nomine appellabatur; sicut Tertullianus lib. de Præscriptionibus adversus hæreticos, multùm supra medium testatur: *Prætermitto*, inquit, *Pharisæos ——— cum his etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt.* Epiphanius id uberius declarat Hæresi XX. num. I. quomodo scilicet Herodem Christum habuerint, & sententiam suam ex Genes. XLIX. 10. vaticinio videlicet Jacobi de sceptro à Juda non auferendo, donec veniret Messias, stabiliverint. Verba ejus supra lib. II. §. V. pag. 166. prolixè citavimus. Johannes Damascenus in lib. de Hæresibus: *Herodiani*, inquit, *omni ex parte Judæi erant. Herodem autem ut Christum approbabant, eumq; Christi honore afficiebant, & appellabant nomine.* Sic & postea Vespasiano Cæsari quidam adulatores hanc dignitatem obtulerunt, inter quos Josephus Historicus Judæus ipse fuit, dum vaticinium de Rege tunc ex Judæa prodituro & toti Orbi dominaturo, in toto Oriente pervulgatum, in Vespasianum detorsit. Verba ejus hac de re invenimus lib. VII. de Bello Judaico cap. XII. *Responsum erat ambiguum in sacris libris inventum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus Orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem* (Judæi) *quasi proprium acceperunt, multiq; sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem planè responso Vespasiani designabatur imperium, qui apud Judæam creatus est Imperator.* Idem avidè arripuerunt, & pro sua ignorantia ita interpretati sunt gentiles. Cornelius Tacitus quidem lib. V. Historiarum cap. XIII. hunc in modum scribit: *Pluribus persvasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectiq; Judæa rerum potirentur: quæ ambages Vespasianum & Titum prædixerant.* Sed

vulgus more humanæ cupidinis sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. C. Svetonius pariter in Vespasiano cap. IV. *Percrebuerat*, ait, *Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu postea patuit, prædictum, Judæi ad se trahentes rebellârunt.* Sed Vespasianus ex Judæa non erat oriundus, quod equidem de hoc rege vaticinium in se continebat, nec in totum Orbem dominium tenuit: Meritò igitur Judæi hoc ad se traxerunt, & ex suo sanguine hunc regem prædictum expectarunt. Sacræ enim literæ seu literæ sacerdotum nullæ aliæ erant, quàm Prophetarum scripta, in quibus omnino perspicuè significatum est, fore ut ex Juda, & Davidis quidem stirpe, hic Rex nasceretur. Perveniebat id in notitiam Vespasiani, obstare scilicet ortum ipsius, quo minus hic Rex prædictus putaretur; & ideo inquiri omnes ex Davidis familia & occidi jussit, ut nemo ex ea superesset, qui Judæis obtinendi regni spem faceret, ut est apud Eusebium lib. III. Histor. cap. XI. & prodigia ipsum fecisse *singulari inclinatione numinis*, Tacitus perhibet lib. IV. Histor. num. LXXXI. & Svetonius in Vespasiano num. VII. Nempe quia inaudiverat, Messiam multa signa & miracula patraturum, & hæc sibi vendicabat. Templum quoq; pacis extruxit, & quæ fuerant in templo Hierosolymitano, in illud intulit, teste Josepho lib. VII. de Bello Judaico cap. XXIV. in fine, & Dione Cassio Xiphilini in Vespasiano, in medio, ne & hoc sibi deesse videretur ex Messiæ gestis, qui templum Domino ædificaturus, & pacem terræ daturus erat.

XXIII. Ulterius & sub Adriano Imperatore Bencochabum seu Barcochebam seqvuti sunt, filium stellæ dictum, quod se illum esse jactaret, de quo Balaam Numer. XXIV. 17. dixerat: *Orietur cochab stella ex Jacob*, id est Messias; Ille verò, cum even-

eventus non correſponderet, dictus eſt Barcosba, filius mendacii. Hic ultimum ferè excidium Judæis juſto Dei judicio attulit. Meminit ejus Juſtinus Martyr Apologia II. ad Antoninum, ante medium, dum ait: *Proximo Judaico bello Barcochebas, defectionis Judæorum dux, ſolos Chriſtianos ad gravia ſupplicia, niſi Chriſtum abnegarent, & maledictis inceſſerent, protrahere juſſit.* Sic & Euſebius in Chronico, anno Domini CXXXIV. *Cochebas,* inquit, *dux Judaicæ factionis nolentes ſibi Chriſtianos adverſum Romanum militem ferre ſubſidium omnimodis cruciatibus necat.* Pluribus eum deſcribit Euſebius lib. IV. Hiſtor. cap. VI. dum ait: *Quo quidem tempore Judæorum dux erat Barcochebas, quod aſtrum ſignificat, quoad cætera quidem cruentus ac latro, ipſa tamen appellatione tanquam ſidus aliquod è cœlo delapſum, ſe gravi ſervitutis jugo preſſis atq; afflictis, lucem ac ſpem ſalutis allaturum commentus eſt. At cum decimo octavo anno imperii Adriani bellum juxta urbem Bethera, omnium rerum præſidiis munitiſſimam, nec longè ab Hieruſalem ſita, inardeſceret, exteriusq; obſidio diu duraret & rerum novarum auctores fame ac ſiti ad ultimum exitium eſſent perducti, & auctor iſtius temeritatis debitas perſolviſſet pœnas, toti genti ex illo tempore prorſus interdictum, ne pedem in agrum Hieroſolymitanum aliquando inferrent, & legis decreto inſtitutisq; Adriani vetitum, ne eminus aliquando patrium ſolum conſpicerent, Ariſto Pellæus narrat.* Addit, quòd urbs Judæis vacua, ab exteris hominibus frequentata, ab Ælio Adriano Ælia appellata fuerit. *Æliam Capitolinam* dictam, & Dio Caſſius Xiphilini refert in Adriano, & quàm cruentũ hoc bellũ Judæorũ fuerit, licet Barcoſbæ mentionẽ non faciat. Judæi ipſi hujus impoſtoris ſeductionẽ & ſuã calamitatẽ in libris ſuis annotarunt & deplorarunt. Auctor libri Schalſchelet hakabalah ſic loquitur: *Poſt excidiũ ſurrexit vir unus Barcoceba propterea, quod interpretabantur de eo dictum:*

(Num.

(Num. XXIV, 17.) *Procedit stella ex Jacob, in Midrasecha rabati. Postea verò quia rebellavit adversus Cæsarem Adrianum, vocaverunt eum Bencoziba, quasi falsitas & mendaciū. Et fecit se Messiam.* In Talmud, Tract. Sanhedrin cap. Chelec, hæc habentur: *Barcoseba regnavit tribus annis & dimidio: Dixit enim Rabbinis, ego sum Messias. Dixerunt ei, De Messia scribitur* (Esai. XI.) *quod odorans erit & judicans* (id est odorando cognoscet, quis innocens, quis reus sit) *videbimus ergo, utrum tu odorando valeas judicare. Cumq; vidissent, quod non erat odorans & judicans, occiderunt ipsum.* Glossa Salomonis Jarchi addit: *Cum regno Herodis* (Agrippæ) *fuit.* Ita hac de re loqvuntur, ut non unum, sed plures hujus nominis impostores fuisse, non obscurè significent. Rabbi Akiba autem, cujus supra mentionem injecimus lib. II. §. 10. armiger Bencosibæ erat, & ex scripturis defendebat, hunc esse Messiam, adductis inter cætera verbis Haggæi II, 7. *Adhuc unum modicum est &c.* De eo R. Moses Ben Maimon in Jad Chazakah, Tract. de Regibus cap. XI. ita scribit: *R. Akiba magnus sapiens fuit, & de sapientibus Misnæ* (de primis auctoribus Talmud) *fuit armiger Barcosbæ regis, de quo dixit, illum esse Messiam: Videbatur enim ipsi, & reliquis omnibus sapientibus generationis ejus esse Messias, donec ob scelera sua interfectus est: Tunc enim patuit, ipsum non esse* (Messiam) *Sapientes verò illi, nullum ab eo signum vel miraculum petierunt.* Plura hac de re habet Raymundus Martini Pugionis fidei Parte II. cap. IV. §. 17. & seqq. & III. parte distinct. III. cap. XVI. §. ultimo, cap. XXI. §. IX. & Josephus de Voisin ad ista loca; Itemq; Petrus Galatinus lib. IV. cap. XXI. Omnium igitur sapientum inter Judæos tunc sententia fuit, Messiã jam venisse, & tam avidè hunc, qui quacunq; ratione Messias videbatur, arripuerunt, ut ne quidem signum vel miraculum ab eo poposcerint.

❧(o)❧